

D E F U N C T I

P. Eduardus Pernet (1875-1962)

(Prov. de Santiago)

Die 14 maii 1962 in domo nostra Cauquenes spiritum emisit P. Eduardus Pernet, expletis 87 annis et tribus mensibus. Natus in Lotharingia, in Tomblaine prope Nancy, die 19 feb. 1875, ibidem crevit in obedientia et pietate usque ad aetatem duodecim annorum in qua, inseguens exemplum sui fratris Iosephi, in iuvenatum nostrum, in Helvetia situm, ingressus est.

Anno 1893, currente sui novitiatus cursu in Hollandia, navem concendit ut littora reipublicae chilensis peteret, et illic emissis suis votis religionis, studia theologiae incepit, quae anno 1899 sacerdotio coronata sunt.

Deditus primum laboribus apostolicis in domo nostra Cauquenes, anno 1904 ad civitatem Sancti Bernardi vocatus est, ubi fundabatur iuvenatus chilensis, ut fieret in eo primus magister necnon studiorum ac disciplinae moderator. Huic pluribus annis praefuit, usquedum obedientia ad maiora munera eum electum elevavit.

Et revera, illum tamquam Rectorem in quinque Vice-Provinciae domibus et in conventu peruviano, per longum videmus.

Modus eius in gubernatione firmus erat, ita ut ab omnibus subditis regularem observantiam conquereretur, attamen bonitate simul et affabilitate moderatus. Curabat itidem ut inter omnes caritas fraterna regnaret; et ipse omnem occasionem aliis complacendi arripiebat.

Cito, et maxime, a Superioribus maioribus aestimatus fuit, sicut factis patet; propter quod Rev.mus Pater Generalis hunc ad plura munera magni momenti vocavit. Sic fuit Vice-Provincialis in regione chilensi ac peruviana, et Visitator extraordinarius in Vice-Provincia Aequatoriano-Colombiana, ubi plaudentibus et gratis omnibus hac opera functus est.

Ipsa vero Vice-Provincia chilensis eum tanti aestimavit ut illum velut Vocalem pro Capitulo Generali anni 1921 concorditer elegit.

Tamquam religiosus, semper ut genuinus Sancti Alfonsi filius emicuit, Regulae amicus, omnibusque eius paeceptis omnimode subditus. Eius pietas vide-

batur simplex et ardens; in caritate fraterna ita excellebat ut omnes in eiusdem communitate inesse cuperent. Plures, submissa voce, eum cognomine sancti nominabant.

Devotione erga Iesum Christum, Beatam Virginem et Sanctum Alfonsum praelucebat.

Claro ingenio praeditus, et litteris amicus, suis eximiis facultatibus ad satisfaciendum officiis commissis usus est; quapropter utilissimus praceptor evasit, necnon et apostolus, qui claritate doctrinae et simplici periodorum cura praecelебat, ita ut mentes sive plebeias sive eruditas gaudentes ficeret.

Eadem loquendi amplitudo illum in festis domesticis adiuvabat, in quibus orationes, ingenii acuitate et novitate splendentes, effari solebat, quae et Superioribus delicate gratulabantur, et omnes non paululum recreabant.

Sancti Alfonsi sedulus imitator, nec minimam temporis particulam in rebus inanibus perdidit; idcirco semper fama viri laboriosi fruitus est.

Valetudine affectus in studentatus annis, opinio medici ad breviorem vitam eum condemnaverat. Attamen, Dei voluntate, usque ad extremam senectutem, absque alio morbo, pervenit.

Anno 1958 primum propinquui finis signum accepit, nempe subita cordis debilitas quae eum per viginti horas omni sensu destituit, et ad omnimodam quietem in posterum coegerit.

In cubiculo sedens, in assidua mortis meditatione et praeparatione tres annos transegit; lectiunculas cum precibus miscebat, voluntati divinae in omnibus subditus.

Ultimis anni 1961 mensibus, vis cordis paulatim decrevit; idcirco medicus infirmo se lectulo tenere iussit. Hoc erat alterum praesagium vicinioris exitus vitae, quod fervens religiosus alacri animo amplexus est.

Tandem, cum magis ac magis pulsus venarum raresceret, die 14 maii 1962 placide obdormivit in Domino, ad percipiendum praemium aeternum quod tamquam bonus servus et fidelis, actibus et perseverantia et doloribus, tam bello sibi meruerat.

(*Chronologium e Prov. de Santiago missum*)

